Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36559
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

operatores necis consortes effecti sunt ultionis. Alii uero exec-
execrabili numero gladiis inuicem sunt interempti. alii
a demonibus uexati ululantes. diuersaque uocum genera eiu-
lantes. que humana expauescit audire natura. retroque sunt
hominibus incognita. Sicubi uero nomen beati uiri commemoraba-
tur magis crudelius possessus a demone cruciabatur. Quid autem
amplius de eorum enodare uoluerimus? Infinito dies ante
sermonem cessabit. Post reuelatam denique uisionem. pauci uero
in annum superstites extiterunt. Qui autem remanserunt contumeli-
osi et pro nichilo reputati sine sensu. et absque memoria ui-
tam duxerunt. Martyr autem Christi in perpetuo coronatus exul-
tat cum Christo. post palmam uictorie sinu receptus Abrahe.
Transacto quoque xiii. passionis sue anno apparuit sanctus
Lambertus per uisum religioso antistiti Hugoberto eiusdem
sedis episcopo. qui et aliquando discipulus eius fuerat. precipiens
ut sine dilatione corpus ipsius Leodio reueherent. Quam
ille uisionem conuocatis sacerdotibus ceterisque fidelibus festi-
nato patefecit. omnesque consulere inuicem rogauit. Quidam
autem ex ipsis eandem se uidisse uisionem narrauerunt. sed dicere
formidare. et idcirco periculosum esse uideri. uiri dei precep-
ta non impleri. Tunc accedens pontifex induit se pro-
ut decuit sacrato habitu. similiter et omnem clerum face-
re iubebat. paratis crucibus turibulis. cum letanie con-
centu ad tumbam hominis dei deuotissime peruenerunt.
ibique prostrati. nutum diuine clementie. fragili-
tatibus humanis interesse rogauere. Postea uero pontifex
cum summa reuerentia solo erectus accessit. saxumque
sepulchro superpositum tolli precepit. Quod cum factum
esset. inuenit corpus sacratum ab omni putribili ab